de juſtè per ſententiam diffinitivam ejectis. Quòd ſi dicas totum id decretum non eſſe uſu receptum, ut diximus *n.* 18. id non obſtat, quia Pontifex in ea parte non videtur ſtatuere novum jus, quantum ad poteſtatem hos ejectos compellendi ad reditum, & ipſorum obligationem ad redeundum, ſed ea ſuppoſita obligat Prælatos ad diligentiam hanc eos quærendi, & compellendi adhibendam, quippe ſi ejecti hi vinculo ſuæ profeſſionis non tenerentur, aſtringi non poſſent ad reditum, cùm capeſſere religionis inſtitutum, à quo quiſpiam liber eſt, debeat eſſe voluntarium. Secundò, quia profeſſi ejecti non liberantur votorum obligatione, & veri ejuſdem ordinis religioſi manent, ut probavimus *num.*27. Ergo ſunt in malo ſtatu, quamdiu per ipſos ſteterit, eo quòd mores non corrigunt, quominus admittantur, tenenturque id procurare, nedum à ſuperioribus coacti redire. Tertiò, quia ob eorum delicta non debent commodum libertatis conſequi, & fieri potioris conditionis, quàm alii religioſi. Nec obſtant rationes contrariæ adductæ *nu.*24. Non prima, quia ſervus poteſt liberè manumitti à Domino, & ideò expulſus ab illo conſequitur omninò libertatem; at profeſſus religionis nequit abſolvi à profeſſione monaſtica, & à ſuorum votorum obligatione. Nec obſtat etiam ſecunda ratio, quia non eſt judicatum abſolvi monachum illum à jugo monaſticæ profeſſionis, & ab obligatione redeundi, ſi radire jubeatur, & correctus admittatur. Nec injuſtum eſt ad hoc cogi, quin potius eſt juſtiſſimum, ne ex culpa ſua liber evadat. Nec id eſt delicti prioris pœna, ſed conſequitur obligationem profeſſionis, quam ſpontè emiſit, à qua non eſt abſolutus. Et ita docent *D. Bonavent. in regul. D. Franciſci, cap.*14.*ad fin. Humbertus in reg. D. Auguſt. cap.*99. *Sylveſt. verbo apoſtaſia, quæſt.*6. *numero* 10. *& verbo, Religio* 6. *quæſt.* 12. *numer.* 12. *Paſſarellus in privileg. Minimorum, cap.* 16. additio *ad Navarr. lib.* 3. *conſ. in* 2. *edit. tit. de regular. conſ.*77. *in fin.* referens generale Dominicanorum Capitulum Pariſiis habitum hanc ſententiam amplexum fuiſſe. *Cord. in reg. D. Franciſci cap.* 1. *quæſt.* 21. *punct.* 3. *Suar.* 5. *tomo in* 3. *part. diſput.*27. *ſect.* 5. *num.* 20. *Vaſq.* 1. 2. *quæſt.* 96. *art.* 4. *diſp.* 165. *cap.*8. *nu.* 87. *Leonardus lib.* 2. *de juſt. diſput.* 141. *dub.* 15. *num.* 111. Id etiam apertè videtur docere *Molina tomo* 1. *de juſtitia diſp.* 140. *col. penult. paulò ante §. quod ad votum, & Manuel qu. regular. tomo* 1. *quæſt.* 30. *art.* 19. ub de horum ejectorum obligatione tractantes, dicunt, ſatis eis eſſe, ſi conentur taliter vivere, ut digni ſint, qui iterum admittantur, paratique ſint in eadem religione Prælato obedire, ſi ſublatis impedimentis iterum recipiantur. Idem apertè ſupponunt *Ang. verbo religioſus, numer.*42. *Tabiena verbo religio, quæſt.* 25. *num.* 26. *ubi Armill. num.* 15. ubi dicunt tunc integrum eſſe ejectis ad aliam religionem tranſire, quando deſperata eſt admiſſio in aliquod priſtinæ religionis monaſterium; ubi clarè ſupponunt, quotieſcumque religio voluerit ipſos admittere, eos non excuſari ab hac obligatione. Quare benè *D. Bonaventura, Humbertus, Paſſarellus, & Cordub. ibidem* dicunt, religioni integrum eſſe hos religioſos revocare, quumdiù in alia profeſſi non ſunt. Et *Federicus conſil.* 134. ait, ut monachi ejecti poſſint plenè à clauſtro abſolvi, exigi, ut ad aliud monaſterium, aut ad curam animarum transferantur.

31 Non tamen dum extra religionem ſunt, tenebuntur obedire Prælatis religionis aliquid aliud præter reditum ad religionem præcipientibus; quia eo ipſo quòd eos ejecerunt conſtituere eos extra ipſorum poteſtatem, & curam, ac ſubinde obedientiam, & hoc eſt, quod Doctores *num.* 26. allegati intelligunt, dum dicunt hos liberos eſſe à voto obedientiæ, quia tantùm promiſere obedientiam, dum ſub cura, & poteſtate ſuperiorum manerent. Et hanc partem apertè tenet *Azor. lib.*12. *inſtitut. moral. cap.*16. *qu.* 11. *immediatè ante verſ. hinc etiam ſolvitur*, ubi ait, hos ejectos teneri eo eſſe animo, ut ſuperiorum juſſis obtemperent quandocumque in eorum cura, & poteſtate erunt conſtituti; & *Leonard. lib.*2. *de juſt. cap.*41. *in fin.* ubi ait ceſſare ex parte executionem voti obedientiæ ob defectum materiæ, nempe quia hi carent ſuperiore, à quo dirigantur, ut *Molina tomo* 1. *de juſtitia diſp.* 140. *col. penult. paulò ante §. quod ad votum, & Manuel quæſt. regular. tomo* 1. *qu.*30. *art.*19. ubi dicunt ſatis eſſe his ejectis, ſi parati ſint ad obediendum Prælato intra religionem, ſi in eam iterum admittantur; & clariùs idem *Molina tomo* 2. *de juſtit. diſp.* 276. *col. antepenult. §. quod ad cæteros*, ubi ait hos ejectos carere ſuperiore cui pareant, & cujus ductum, aut voluntatem ſequi teneantur.

32 Secundò, deducitur, quid in ea quæſtione dicendum ſit, an ejecti hi poſſint quoque cogere religionem, ut eos jam plenè correctos admittat? quippe id ex eo probari videtur, quòd cùm religio jus habeat hos revocandi, videntur etiam ipſi jure cogendæ religionis potiri poſt ſufficientem correctionem, ne diſpar utriuſque contrahentis conditio exiſtat. Idque affirmant *Navar. lib.* 3. *conſ. tit. de regular. in* 1. *edit. conſ.* 51. *in fin. in* 2. *conſ.* 18. *fin. Cordub. in regul. D. Franciſci, cap.* 2. *quæſt.*71. *punct.*2. *Molina tomo* 1. *de juſt. diſp.* 140. *col. penult. §. quod ad votum. Tapia authent. ingreſſi, verb. ſua, cap.* 6. *numer.* 43. *Leonardus lib.* 2. *de juſtit. cap.* 41. *dub.* 15. *num.* 112. *verſic. verius tamen puto*. Limitat *Cordub.* niſi aliud obſtet, utpotè ſi ſit probabile ſcandalum ex tali admiſſione, vel ſi redeant morbo aliquo contagioſo infecti, vel aliàs inhabiles ad ordinis officia; vel tandem, ſi ad aliorum terrorem valde conducat, hos iterum non admittere. Similiter limitat *Leonardus*, niſi religio juſtas non admittendi cauſas haberet. Quæ ſententia veriſſima eſſet, ſi ſervanda eſſet deciſio textus *capitis finalis de regularib.* qui hos iterum admitti jubet, quando religionis regula non repugnat, eaque repugnante jubet, ut in ergaſtula monaſterii includantur, ut retulimus *n.* 11. verùm cùm ea deciſio, aut de ſolis injuſtè ejectis intelligenda ſit, juxta Doctores, quos retulimus *nu.* 17. aut uſu abolita ſit, ut diximus *num.* 18. dicendam eſt, religionem nequaquam ad hoc teneri, quia juſta ſententia ſunt in perpetuum ex parte religionis ejecti, qua tuta conſcientia poteſt juvari religio; nec mirum ſi diſpar ſit ejectorum, & religionis conditio: hæc enim diſparitas meritò, & jure optimo inducitur propter ejectorum delictum, ſicut in matrimonio carnali eadem diſparitas reperitur inter conjugem innocentem, & adulterum; innocenti enim integrum eſt poſt divortii ſententiam adulterum ad reconciliationem cogere, quod jus adultero quantumvis emendato denegatur. Et ideò hanc partem tenent *Manuel qq. reg. tomo* 1. *qu.* 30. *art.*20. *in fine, Azor. lib.* 12. *inſtit. moral. c.* 18. *qu.* 2.

33 Tertiò deducitur, immeritò *Navarr. lib.* 3. *conſil. tit. de regularib. in* 1. *edit. conſ.* 64. *in fin. in* 2. *conſ.* 80. *in fin.* dixiſſe, fortè ejectos per juſtam ſententiam deffinitivam à religione non poſſe ad illam redire abſque nova profeſſione, etiam de conſenſu ſuperiorum, ſaltem ad eum gradum, & locum, in quo ante ejectionem erant, quamvis ſubjiciat, ſe nec hoc approbare, nec reprobare. At dicendum eſt, nullatenus nova profeſſione indigere, quia à priori non ſunt abſoluti, ſed ejus obligatio ad tempus, quo hi extra religionem manent, eſt quo ad aliqua ſuſpenſa, nec ſunt omninò à regularum obligatione abſoluti, ſed ſolùm quamdiù iterum in religionem non admittuntur. Et ideò hanc partem tuetur *Manuel. quæſt. reg. tomo* 1. *quæſt.*30. *art.*28. & eamdem tenentur ſequi omnes Doctores, quos *nu.*27. retulimus, dicentes hos à profeſſione priori non abſolvi, & conſonat hoc iis, quæ diximus *c.*6. *nu.*31. ubi probavimus monachum Epiſcopum redeuntem ad ſuam religionem non indigere nova profeſſione. Subdit tamen *Manuel. eod. art.* 28. *in fine*, eos iterum ad religionem receptos minimè reſtituendos eſſe ad eum locum, & gradum, in quibus ante repulſum erant, quia denuò ſe ſubjiciunt poteſtati ejus, à quo per repulſum liberi erant. At hæc ratio non probat intentum, quia ea obligatio non extincta erat, ſed tantùm ſuſpenſa, donec ad religionem redirent, manente firma priori profeſſione. Ergo prioris antiquitas, & gradus ſervanda ſunt, & ita credo, niſi ob præterita delicta, his per ſuperiores priventur.

34 Quartò deducitur, immeritò aliquos Doctores dicere, hos religioſos ejectos, quando admiſſio in ſuam priſtinam religionem poſt debitam correctionem deſperatur, teneri ad aliam religionem tranſire. Ducuntur autem, quia eo ipſo quòd in hac profeſſi ſunt, religioni in generu ſeſe generatim adſtrinxere: cum ergo in hac jam nequeant eſſe, tenebuntur aliam ingredi, non enim eorum conditio per repulſum dicitur eſſe melior. Et ita docent *D. Bonavent. in reg. D. Franciſci, quæſt.* 14. *ad fin. Cordub. in eamdem reg. cap.* 2. *quæſt.* 21. *punct.* 3. *D. Anton.* 3. *part. tit.* 1. *cap.* 4. *in fin. Paſſarel. ſuper privilegia Minim. cap.* 26. *& cap.*39. *in fin.* & id ſupponunt *D. Anton. eod. tit.* 26. *cap.*5. *& §.* 3. *in fin. Angelus, verbo religioſus num.*41. *Sylveſt. verb. religio* 6. *quæſt.* 12. *Armil. verb. religio num.* 15. *& ibi Tabiena qu.* 15. *num.*26. ubi dicunt hos ejectos, quando in ſuam religionem non admittuntur, nec inveniunt aliam, poſſe in ſæculo vivere. Et idem clarè ſentit *Federic. conſ.* 38. ubi rogatus de quodam ejecto non invenienti religionem volentem illum admittere, ait Epiſcopum debere curare, ut in aliquam recipiatur, & ſi non inveniat, debere ipſum Epiſcopum admittere eum ad profeſſionem in genere, & ei deputare habitum regularem, ita ut ſervet vota; & tamquam probabile tenet *Sorbus in privileg. Mendicantium, verbo, ejicere in ſuis annotationibus, in fin.* & idem tenet *Altiſiodor. lib.*3. *ſuæ ſummæ, tract.* 22. *quæſt. penult.* de religioſo, cujus omninò deſtructa eſt religio, idque probat, quòd religioſus ſic dominium ſui transtulerit in Deum. At omninò tenendum eſt contrarium, quià profeſſus minimè vovet religionem in genere, ſed hanc; ergo vel ad hanc, vel ad nullam tenetur. Addo, etiamſi generatim in ea profeſſione cenſeretur religio promiſſa, at etiam manens in ſæculo religioſus eſt & tribus votis obſtrictus, quamvis juſta ſantentia damnatus vivat extra clauſtrum. Et ita clarè tenent hanc partem *Sotus lib.* 7. *de juſt. quæſt.* 2. *art.*1. *in ſelutione ad* 3. *ſub finem, Philiarcus de offic. ſacerdotali tomo* 1. *p.*2. *lib.*3. *c.*71. *in fin.* dnm dicunt hos ejectos, dum correcti adhuc repelluntur, tutos manere in ſæculo, & in propriis terminis docent *Navarr. comm.* 2. *de regular. num.*36. *Azor. lib.*12. *inſtit. moral. c.*16. *q.*7. *& q.*13. *& c.*17. *q.*2. *Molin. tomo* 1. *de juſtitia diſput.* 140. *colum. penult. paulò ante §. quod ad votum, Leonard. lib.* 2. *de juſtitia c.*41. *dubio* 15. *nu.*111. *Manuel quæſt. regul. tomo* 1. *q.* 30. *art.*20. Atque idem dicendum eſt contra Altiſiodorenſem de religioſo, cujus omninò deſtructa eſt religio, non enim tenetur ad aliam; neque obſtat ejus ratio, quia non tranſtulit dominium ſui quo ad omnem regulam, ſed quo ad illam ſolùm, quàm profeſſus eſt.

35 Sed

35 Sed duplex eſt circa hoc difficultas. Prima, an hic profeſſus ejectus poſſit propria auctoritate ad aliam religionem, ſive æqualem, ſive laxiorem tranſire? Quidam negant licitum eſſe hunc tranſitum abſque ſpeciali Romani Pontificis diſpenſatione. Ducuntur, quia Gregorius XIII. in Bulla conceſſa Societati JESU, incipiente; *Cum alias felicis recordationis*, induſit Generali Societatis JESU, ut ex ipſius licentia poſſit profeſſus ab illa ejectus tranſire ad aliam religionem, prohibuitque ejus indulti communicationem omnibus aliis religionibus ſua privilegia cum prædicta Societate copioſè participantibus. Ergo ſupponit eſſe neceſſariam licentiam, nec poſſe Superiores religionis eam concedere, ſed ſolùm Papam; Item, quia profeſſus quantumvis ejectus perſeverat religioſus illius ordinis, & illi ſubjectus, & tenetur revocatus redire, ut probavimus *num.* 30. Sic tenent *Cordub. in regul. D. Franciſ. c.*2. *q.*21. *punct.* 2. *Suar. tomo* 5. *in* 3. *p. diſp.* 22. *ſect.*5. *num.* 20. Alii verò cenſent cum licentia ſui Prælati poſſe hunc tranſire ad æqualem, ſeu laxiorem, quando nulla ſubeſt ſpes, ut in propriam admittatur. Sic docent *Angelus verb. religioſus nu.* 42. *& Tabien. verb. religio quæſt.* 25.

36 Cæterùm, exiſtimo poſſe hunc ad aliam religionem, ſive æqualem, ſive laxiorem abſque ulla prorſus licentia tranſire. Hoc tenent *D. Antonin.* 3. *p. tit.*16. *c.*4. *in fin.* dicens ſe vidiſſe conſilia peritorum hoc tenentium. *Armill. verb. religio num.* 15. *Navarr. lib.*3. *conſil. tit. de regul. in* 1. *edit. conſil.*51. *num.* 2. *in* 2. *conſil.* 78. *numer.* 2. *Paſſarel. ſuper privileg. Minimor. c.* 39. *in fine Emmanuel Sà ſumm. verbo religio nu.* 40. *Manuel Rodrig. qu. reg. tomo* 1. *quæſt.* 30. *art.*71. & ſequitur tamquam probabile *Sorbus in Compendio privilegiorum Mendicantium, verbo ejicere, in ſuis annotat. in fine* idemque ſupponit idem *Manuel* 2. *tomo ſumm. c.* 6. *nu.*11. ubi dicit valere profeſſionem in alia religione, quando ejectus tamquam incorrigibilis tacet profeſſionem in priori. Quia ſententia intelligenda eſt, quando profeſſus ille in perpetuum ejectus eſt, ita ut quantumvis correctus, nulla ſubſit ſpes, ut admittatur. Nam quando correctus admittetur, cùm teneatur ad priorem religionem redire, & ſe corrigere, ut admittatur, manifeſtum eſt, eum non poſſe ad aliam religionem tranſire abſque legitima licentia: & ita benè temperavit *Armil. eo num.* 15. Ducor, quòd hic exemptus eſt ab obedientia, & obſervantiis illius religionis, & poteſt liberè in ſæculo manere; ergo à fortiori poterit ad aliam religionem tranſire. Secundò, quia lata divortii ſententia, ſi conjux innocens monitus nolit adulterum ſibi reconciliare, poteſt adulter ſtatum mutare profitendo in aliqua religione, ut probavimus *lib.* 10. *de matrim. diſp.*10. *num.* 16. Item, quia prior religio non habet jus omninò in profeſſum expulſum, ut ipſum quaſi ligatum habeat, ne poſſit ſibi conſulere ſtatum alium religioſum eligendo, ſi ad reconciliationem minimè admittatur; ſed ſolùm habet jus reconciliandi, quamdiu ſtatum non mutavit. Nec obſtant rationes contrariæ, quia ad primam reſpondeo, privilegium Societatis JESU, quod aliis religionibus non communicatur, in eo conſiſtere, ut poſſit ſolus Generalis Societatis eam indulgere licentiam quibuſcumque profeſſis ab ipſa ejectis, cum tamen non quicumque profeſſi ejecti poſſint propria auctoritate ad aliam religionem tranſire, nec ſolus Generalis aliarum religionum poſſit eam licentiam concedere; ſed ſolùm poterunt tranſire, quando ſufficienter correcti non admittuntur in religionem priſtinam, aut de licentia Generalis, aut Provincialis, cum conſenſu conventus, ut probavimus hoc *lib.* 6. *cap. ſeptimo numero* 66. *&* 69. Nec obſtat etiam poſterior ratio, quia conſtabit ejus ſolutio ex dicendis *numero ſequenti*.

37 Immò, & invitis prioris religionis ſuperioribus renuentibus admiſſionem poſt debitam hujus ejecti correctionem, poteſt hic ad aliam religionem tranſire, ſicut de conjuge adultero, dum innocens reconciliationi reſiſtit, probavimus *lib.* 10. *de matrim. diſp.*10. *num.*16. quòd ea voluntas refragans ingreſſi hujuſmodi, nec volens admittere, ſit irrationabilis.

38 Hinc deducitur; etſi poſſit hic religioſus ejectus ante profeſſionem in poſteriori religione, & tempore novitiatus revocari à priori, eo quod verus prioris religioſus ſit, & quo ad revocationem hanc ſubjectus Prælatis prioris illius religionis: at poſt profeſſionem non poterit, quia res jam non eſt integra, & deſinit eſſe religioſus prioris, & poſteriori obligatur per profeſſionem illam validam, ſicut de conjuge adultero, qui poſt divortii ſententiam renuente innocenti reconciliationem tranſiit ad religionem probavimus *eodem libro* 10. *de matrimon. diſputat. decima numero* 16.

39 Demum id obſervandum eſt, Innocentium IV. conceſſiſſe fratribus Minoribus, ut ejecti ex illorum ordine poſſint tranſire ad alios ordines approbatos, præterquam ad ordinem *D. Auguſt.* Templariorum, Hoſpitaliorum, & aliorum religioſorum arma portantium, deferendo tamen teſtimonium Generalis, vel Provincialis ordinis dicti Minorum: & prohibuit ne aliter dicti religioſi abſque licentia Sedis Apoſtolicæ admittantur. Circa quam conceſſionem dubitari meritò poteſt, an profeſſio in alia religione fratris Minoris ſic ejecti, nec deferentis ſuæ ejectionis teſtimonium, valida ſit. *Manuel Rodrig. tomo* 1. *Regular. Quæſt.* 30. *art.* 21. *in fin.* negat valere. Ducitur, quia tamquam forma, ſub qua conceditur licentia ejus tranſitus, petatur id teſtamentum; at deficiente forma, deficit quoque valor actus. Sed meliùs idemmet 2. *tomo ſumm. c.* 6. *num.* 11. dicit valere profeſſionem, quia Pontifex eam non irritat, nec teſtimonium illud petitur tamquam neceſſaria forma, ſed tamquam res præcepti, ut de legitima monachi conſtet ejectione.

40 Secunda difficultas eſt, an profeſſi ejecti poſſint à ſuperiore ejiciente compelli, ut ad aliam religionem tranſeant? *Navarrus* variis in locis in locis fortiter defendit partem negantem, ut *comment.* 4. *de regularib. num.* 71. *& lib.* 3. *conſil. tit. de regularib. in* 1. *edit. conſ.* 17. *in fine & conſ.* 50. *num.* 2. *& conſ.* 64. *numer.* 1. *& in* 2. *conſil.* 16. *in fine & conſil.* 77. *num.*2. *& conſil.* 80. *num.*1. idem tenet *Leonard. lib.* 2. *de juſtitia cap.*41. *dub.* 15. *nu.* 114. *in fine* addens nec Pontificem poſſe ad id cogere. *Manuel. Rodrig. Quæſt. Regul. tit.* 1. *qu.* 30. *art.* 22. *& Vega tomo* 2. *ſumm. c.* 86. *caſu* 13. qui duo licet *in fine* loquantur de religione ſtrictiori, at in principio locuti ſunt indiſtinctè, & ratio qua hanc partem probant, etiam probat de quacumque religione. Et hanc partem tamquam probabilem tenet *Sorbus in compend. privilegiorum Mendicantium, verbo ejicere, in ſuis annotationibus, in fine*, & idem tenet loquens de ſtrictiori religione *Graffis* 1. *p. deciſ. lib.* 3. *c.*5. *num.*147. probatque *Navarrus eo conſil.* 50. *&* 77. quia ſicut Judex nequit extra ſuæ juriſdictionis territorium aliquid jubere *l. finali, ff. de juriſdictione omnium Judicum, & c.* 2. *de conſtitutionibus, in* 6. ita neque extra ſuæ juriſdictionis tempus; valet enim argumentum de loco ad tempus *l. vinum, ff. de reb. credit.* Ergo cùm hic ſuperior habeat ſolùm juriſdictionem in hunc religioſum, dum manet ei ſubditus in religione, & ab illa expulſus deſinat eſſe ei ſubditus, non poterit ſuperior præcipere, ut poſt repulſum ingrediatur aliam religionem. Et confirmatur, quia paria ſunt aliquid fieri tempore inhabili, & referri ad tempus inhabile *l. in tempus, ff. de hæred. inſtit.* Secundò poteſt probari ex *l. fin. C. de pœnis*, ibi *Patria Præſes ultra tempus adminiſtrationis ſuæ interdicere non poteſt*.

41 Hi verò cenſent poſſe Prælatum ad id cogere, quia tempore, quo cogit, eſt religioſus ille ſub ejus obedientia, & per profeſſionem ita ſe religioni obligavit, ut nullatenus integrum ei ſit ad ſæculum redire. Ita docet *D. Bonavent. in regul. D. Franciſci, qu.*14. *Paſſarellus in privilegia Minimorum c.* 16. & tamquam probabile amplectitur *Sorbus allegatus nu. præced. & Antonius de Amatis deciſ. Genuenſi* 46. *in fine* ait; Mendicantes poſſunt cogere ejectum ad intrandum aliam religionem.

42 Sed prior opinio tenenda eſt, ita ut nullus ſuperior ad id cogere poſſit. Ducor autem non fundamentis à Navarro allatis, quia ut Judex per ſententiam diffinitivam poſſit cogere, ſatis eſt, ut damnandus ſit ei ſubditus tempore, quo ſententiam profert, ſitque tunc intra ſuum territorium; & hæc concurrunt in noſtro caſu, aliàs nullus Judex poſſet damnare triremibus, vel exilio decennio, ſi antea contingeret ſuum munus finiri, & damnatus ille, dum eſt in triremibus, vel in exilio, eſſet extra ſuum territorium; & dum textus *l. fin. C. de pœnis*, decidit, non poſſe Judicem interdicere ultra ſuæ adminiſtrationis tempus, *Gloſſa ibi verb. adminiſtrationis, & l.* 1. *verbo obtempera. C. de poſtulando, & ibi Salyc. num.* 4. dicunt hoc intelligi, quando Judex procedit per modum mandati: ſecus quando cauſa cognita profert ſententiam. Vel intelligitur, ut explicant *Bartol. ea. l.* 1. *num.* 2. *Bald. num.* 1. *Paul. num.* 1. *Salyc. num.*1. quando jubet per ſententiam interlocutoriam, ſecus quando per ſententiam diffinitivam, quia hæc ſententia fertur præmiſſa cauſæ cognitione, & magna ſolemnitate interveniente. Cùm ergo ante repulſum à religione, dum hic ſubditus erat, damnatus ſit per ſententiam diffinitivam, ut ejiceretur ab ea religione, ad aliamque tranſiret, & tranſierit in rem judicatam, eo non appellante, non obſtabit obligationi parendi eum futurum extra hujus Prælati juriſdictionem tempore, quo ſententia exequenda eſt. Quare legitimum hujus ſententiæ fundamentum eſt, quod profeſſio religionis debeat eſſe voluntaria, ſicut & matrimonium; ac proinde ſicut in nullo eventu poteſt quis ad matrimonium cogi, niſi ipſe ſe ad illud ineundum propria voluntate obligarit: ita nec ad religionis profeſſionem. At profeſſus in aliqua religione non ſe obligavit ad profitendum in alia; & ideo etſi quis ob ſua delicta damnari poſſit, ut in monaſterium pœnitentiam acturus detrudatur, *c. quoniam, de ſimonia* at ut in illo profiteatur, cogi nequit. Ex quo ſequitur, poſſe per hanc ſententiam diffinitivam cogi ejectos hos ad aliam pœnitentiam ſuis delictis condignam ſubeundam. Et ita tenet *Manuel Rodrig. Quæſt. Regular. tom.* 1. *quæſt.*30. *art.*22.

43 At poteſt ſuperior religionis eum profeſſum ſub ea conditione ejicere, ut tranſeat ad aliam religionem; cui conditioni profeſſus ille connivens tenebitur aliam ingredi, aut non ingrediens, ab ea tempore novitiatus recedens, tenebitur tamquam non impleta conditione ad priorem redire, à qua ſub illa ſolùm conditione abſolutus erat; & ſic ſervatur in praxi in Societate JESU cum profeſſis ab illa ejectis: poteritque idem ſervari cum ligatis ſolis biennii votis, utpote qui verè, & plenè ſubditi ſint. Poterit

enim

enim Pater noſter Generalis non aliter eos abſolvere ab illorum votorum obligatione, niſi ad aliam religionem tranſeant: Immo, & idem poterit ſuperior cum novitiis ejuſdem Societatis, qui ex ſua devotione vota emiſere juxta Societatis formam. Nam etſi per illa non tranſeant in ſuperioris juriſdictionem, & poteſtatem: at poterit ſuperior nolle ab iis votis liberos eos reddere per dimiſſionem à Societate, niſi ſub prædicta conditione: ſicut poſſet nolle abſolvere, niſi alia commutatione acceptata. Et ita Pius V. in quadam Bulla conceſſit Societati JESU, & refertur in ejus privilegiis, *verb. apoſtata*, §.9. ut ejecti ab ipſa poſt profeſſionem, aut biennii vota cum conditione tranſeundi ad aliam religionem, teneantur intra tempus à Generali præfixum ingredi, & ſi non ingrediantur, aut ingreſſi non perſeverent, teneantur abſque ulla mora ad Societatem regredi ſub excommunicationis latæ pœna reſervatæ Pontifici, aut Generali Societatis.

44 Unde fit, ejectos poſt vota biennii, aut profeſſionem à Societate, ſub prædicta conditione, teneri Societatem admittere, ſi poſtea non ingreſſi, aut non perſeverantes redeant, cùm abſolutè nondum expulſi ſint; at ſi judicaret eos repulſu abſoluto dignos, poſſet iterum abſolutè expellere.

45 Quintò deducitur, hos profeſſos ejectos à religione nihil tamquam proprium poſſe ſibi acquirere, aut capere, neque acquirere alicujus rei dominium, ſed ſolum jus habere acquirendi uſum eorum, quibus ad victum, veſtitum, & habitationem indigent. Conſtat ex dictis *numer.* 23. ubi probavimus hos teneri voto paupertatis, prout ſtatus eorum patitur. Ita docet *Navarr. comment. 2. de regularib. nu.* 35. *Leonard. lib. 2. de juſt. cap.*41. *dub.* 15. *num.*112. *Sayr. Clav. regia lib.* 6. *c.* 9. *num.*18. *Molina tomo* 1. *de juſtit. diſp.*140.*colum. antepenult.* §. *quando verò, & tomo* 2. *diſp.* 776. *colum. antepenult.* §. *quod ad cæteros, Azor. lib.* 12. *inſtit. moral. c.* 16. *q.* 4. qui benè addit, hos nec uſum, nec uſumfructum, qui in jure conſiſtit, ſibi comparare, ſed nudum uſum, qui res eſt facti, non juris, quia prior uſus, aut uſusfructus pugnat cum voto paupertatis. Addit *Sayro*, non poſſe hunc divitias accumulare: ſed id non credo, quippe non adverſatur paupertatis voto hæc accumulatio retento ſolùm illarum uſu. Addit etiam *Navarr.* teneri hunc licentiam Epiſcopi obtinere, ut bona, quæ comparat, convertat in proprios uſus ſibi neceſſarios. Sed loquitur *Navarrus* conſequenter ad ſententiam ipſius, quam retulimus, ac impugnavimus, *num.* 28. *&* 29. Quare eam licentiam minimè deſiderari dicendum eſt, ſed, ut benè docent *Molin.* utroque loco citato, *Leonard. eo dub.* 15. *n.* 113. *Manuel Rodriguez qq. reg. tomo* 1. *quæſt.* 30. *artic.* 19. eo ipſo quod à religione ejiciuntur, cenſeri tacitè eis conceſſam adminiſtrationem, & commoditatem uſus rerum, quas comparant.

46 Sextò deducitur, hos non poſſe teſtari, quia poteſtas teſtandi pugnat cum paupertatis voto, nec hi ſunt domini eorum bonorum, ſed ſolùm uſus, & commoditas eorum conceduntur illis, dum vivunt. Et ita docent *Molina ea diſp.* 277. §. *quod ad cæteros Leonard. eo dub.* 15. *n.* 113. *Sayro eo c.* 9. *n.* 28. Cui autem acquirant, & an ſint capaces beneficii ſæcularis, dicemus tractatu de voto paupertatis, ubi etiam explicabitur, at ſint capaces ſuccedendi, ſi ab ordine Minorum, vel à Societate ſint profeſſi ejecti.

47 Sed major difficultas eſt, an ſi in illicita, & ſuperflua expendant, teneantur accipientes ab eis reſtituere? Videntur enim teneri, quia illi non ſunt domini, ſed amminiſtratores, & hoc ad uſus licitos, & neceſſarios; nec ſuperior religionis poteſt concedere licentiam expendendi in ſuperflua, & illicita, & accipientes non obſtante ea licentia tenebuntur reſtituere, ut dicemus tractatu de voto paupertatis. Et ideo hæc pars eſt valde probabilis, & conformis communi ſententiæ traditæ, ut benè ait *Leonardus de juſtit. c.* 41. *dub.* 15. *num.* 113. At placet quod tradunt *Leonardus ibi*, & *Molina tomo* 2. *de juſt. diſput.* 276. *verſ. quod ad cæteros, & diſput.* 520. *paulò poſt principium*, nempè, hos non teneri reſtituere, quoniam commoditas tota, uſus, & diſpoſitio illorum bonorum, interim dum vivunt, proinde ad ipſos ſpectat, ac ſi religioſi non eſſent, neque habent jam tunc, cui in ea parte pareant, & cujus ductum, & voluntatem in ea parte ſequi teneantur, ſed perinde quoad adminiſtrationem, acquiſitionem, & alienationem eorum bonorum ſe habent, ac ſi dominium illorum haberent, ac ſui juris omninò eſſent; quod quidem uſus ita comprobat, & monaſterium nullam penitus curam habere de horum bonorum adminiſtratione. Et quamvis dum religioſus ille manet religioni ſubjectus, ea facultas tam ampla concedi nequeat; at per repulſum eo ipſo conceditur, cùm jam pro tunc non maneant perfectè voto paupertatis ligati, ſed ſecundùm quid. Cui ſententiæ ſatis favent Doctores, quos retulimus, *num.* 26. dicentes, religioſos hos eximi à paupertatis voto. Conſonant his, quæ diximus ſupra in hoc *lib. cap.* 6. *num.* 13. de religioſo Epiſcopo in uſus prophanos expendente bona.

48 Sed rurſus difficultas eſſe poteſt, an ſaltem peccent contra paupertatis votum ſic illicitè, & ſuperfluè expendentes, an ſolùm peccatum committant, quod quicumque ſæculares ſic expendentes perpetrarent? Videntur enim peccare contra votum paupertatis, quia non ſunt domini, nec expendunt in uſus licitos, prout paupertas promiſſa patitur. At ex doctrina *num. præcedenti* tradita clarè deducitur, eos non peccare contra paupertatis votum, cùm de ejuſmodi bonis poſſint in vita diſponere, perinde ac ſi merè ſæculares eſſent, ac veri domini. Inſuper, quia quidquid religioſus donat, aut conſumit contra paupertatis votum, tenetur accipiens reſtituere, utpote acceptum abſque legitima licentia ad transferendum illius dominium. At ſic accepta, non ſunt obnoxia reſtitutioni; ergo diſponens non peccat in votum paupertatis.

49 Quare à fortiori poterunt vitæ ſuæ tempore facere donationes non malas, & eleemoſynas, quas voluerint, cùm plenam eorum bonorum adminiſtrationem habeant, ut bene docet *Molina* priori loco allegatus *num.* 47.

50 Quod ſi ad victum neceſſaria his ejectis ſufficiant, non tenentur manuum ſuarum labore acquirere, ſed integrum eis eſt emendicare, ſicut cuicumque ſæculari liberum eſt omnia pauperibus erogare, & ex eleemoſynis emendicatis vivere. Sic *Navarr. comm.* 2. *de regul. num.* 37. *Azor. lib.* 12. *Inſtit. Moral. c.* 16. *in fine.*

51 Tandem ſupereſt diſputandum, an teneantur hi ad obſervantias regulares, & reliqua vota juxta religionis ſuæ inſtitutum in ea emiſſa, præter tria ſubſtantialia, caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ? & loquendo de obſervantiis regularibus, aliqui videntur aſſerere hos teneri, quia iniquum eſt, ut commodum exemptionis ex ſua iniquitate reportent *cap.* 1. *de poſtul. Prælat. & cap. Sedes Apoſtolic. de reſcrip.* Sic videntur ſentire *D. Antonin.* 3. *part. tit.* 16. *cap.* 5. §. 3. *in fine Angelus verbo religioſus num.* 42. *Sylveſter verb. religio* 6. *quæſt.* 17. *Armilla verb. religio num.* 15. *Cordub. in reg. D. Franciſci cap.* 2. *quæſt.* 21. *punct.* 3. *Paſſarel. in privileg. Minim. cap.* 59. *in fin.* ajunt enim hos non invenientes religionem, in quam admittantur, teneri vivere regulariter.

52 At dicendum eſt, eos non teneri ad obſervantias regulares, ut ad jejunia, vigilias, delectum ciborum, quia omnia hæc comitantur vitam monaſticam, & ratione ſolius religionis, à qua expelluntur, tenebantur ad illam. Et confirmatur, nam talis profeſſus per ſe, & immediatè ſolùm vovit tria ſubſtantialia vota, reliqua verò mediatè, & conſecutivè, ſuppoſito, quod in eadem religione perſeveraret; unde ſicut vovens profiteri in religione aliqua non tenetur ex vi hujus voti ad ſpeciales regulæ obſervantias, donec de facto profiteatur: ita ſimiliter non tenetur ejectus. Nec obſtat ratio contraria; quia etſi abſurdum ſit reportare per ſe commodum exemptionis ex delicto; at reportare per accidens ratione alicujus principalis, quod defuit, cui obligatio illa acceſſoria erat, nil abſurdi continet, & id contingit in hoc caſu. Nam quia obligatio ad eas obſervantias eſt annexa perſeverantiæ in religione, deficiente hac per expulſionem legitimam, & perpetuam objecti demerita, deficit per accidens, & conſequenter obligatio acceſſoria. Et ita ſuſtinet *Sotus lib.* 7. *de juſt. quæſt.* 2. *art.* 1. *in ſolutione ad* 3. *ſub fin. Navarr. comment.* 3. *de regular. num.* 46. *& lib.* 3. *conſ. tit. de regularib. in* 1. *editione conſ.* 51. *n.* 2. *in* 2. *conſ.* 78. *num.* 2. *Aragon.* 2. 2. *quæſt.* 55. *art.* 3. *fol.* 977. §. *hucuſque diximus Philiarcus de officio ſacerdot. tom.* 1. *par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 21. *in fin. Sayro theſaur. caſuum tom.* 2. *lib.* 19. *num.* 28. *Emman. Sa ſumm. verbo religio num.* 40. *Leonard. lib.* 2. *de juſt. cap.* 41. *dub.* 15. *in fin. Conrad. in ſuis reſponſ.* 1. *part. quæſt.* 285. tamquam probabile ſequitur *Sorbus vero ejicere in ſuis annot. in fine.* An verò teneantur ad horas canonicas, diximus tractatu de horis canonicis.

53 Nec approbo quod ait *Manuel.* 1. *tomo Quæſt. Regular. quæſt.* 30. *art.* 19. *in fin.* ubi predictam ſententiam limitat, ut intelligatur de jejuniis, ad quæ non obligat regula ſub culpa mortali, ut contingit in ordine Prædicatorum, & de his ait locutum *Sotum num. præcedenti* allegatum. Quare concludit, fratres Minores profeſſos ejectos in perpetuum non liberari jejuniis, ad quæ eorum regula ſub mortali obligat. Sed hanc limitationem non approbo, tum quia omnes, prædicti Doctores indiſtinctè loquuntur, nec eos latebat in aliquarum religionum regulis contineri aliqua præcepta ſub mortali obligantia, & eorum ratio generalis eſt, & in omnibus hoc idem probat; tum etiam quia *Navarrus eo. comment.* 3. *de regul. num.* 46. dicens, ejectos liberari obligatione regulæ, & jejuniorum ipſius, meminit fratrum Minorum, nec eos excepit, immo ſubdidit, poſſe quoque eos tangere pecunias, cùm tamen contrarium in ſua regula interdicatur.

54 Limitarem tamen prædictam ſententiam, ut intelligatur de ejecto in perpetuum tamquam incorrigibili, ita ut nulla ſubſit ſpes, ut emendatus admittatur iterum; nam quamdiu ſubeſt ea ſpes, non cenſetur ejectus in perpetuum, ſed donec corrigatur, & ita tenetur ſe corrigere, & correctus petere, ut iterum admittatur, & ſi denegetur admiſſio, ex tunc manebit liber ab obſervantiis regularibus. Hoc clarè indicant *Sotus, Aragon. Philiarcus, Sayro, num.* 51. allegati. Nam priùs dicunt teneri hos ejectos ſe corrigere, & ſi poſt correctionem non admittantur, eos manere liberos à jugo regulæ.

55 Hinc deducitur, hos ejectos in perpetuum non teneri deferre habitum ſuæ religionis, quia cùm eo ſpolientur per juſtam ſententiam, eo uti nequeunt. Sic *Navarrus comment.* 2. *de regular. num.* 36. *& lib.* 3. *conſ. tit. de regul. in* 1. *edit. conſ.* 51. *num.* 2. *in* 2. *conſ.* 78. *num.* 2. *Azor.*

Azor. tomo 1. *inſtit. moral. lib.*17. *cap.*18. *q.* 13. *Leonard. lib.* 2. *de juſtit. cap.*41. *dub.*15. *num.*112. *Sayro Clavi Reg. libro* 6. *cap.* 9. *numero* 28. *Manuel qq. Regular. tomo ſecundo, quæſt.* 30. *articulo* 26. Atque limitant benè *Sayro, & Manuel*, quando habitu ſpoliarentur; nam ſi non ſpolientur, non poterunt illum dimittere, quia delatio habitus non eſt annexa obligationi regularum religionis, nam Epiſcopus eſt his exemptus, cùm tamen habitum ſuæ religionis deferre teneatur.

56 Sed quid dicendum de aliis votis, ultra tria ſubſtantialia in religione, juxta ejus inſtitutum emiſſis, ut in religione Fratrum B. Mariæ de Mercede emittitur quartum votum vacandi redemptioni captivorum, & in ordine Minimorum quartum votum ſolemne vitæ Quadrageſimalis? Videntur enim hi ejecti obligari his votis, quod ea expreſsè emiſerint, & nulla ſit ratio cur eorum obligatione liberentur: ſicuti ſi voviſſent aliqua recitare, tenerentur. Et ſatis favent huic parti *Sotus Aragon. Philiarcus, Sayro, Conradus allegati n.*51. dicentes enim hos ejectos non teneri ad regulares obſervantias, eam reddunt rationem, quod eas non expreſsè voverint. At in contrarium urget, quod hæc vota emittantur, ut annexa profeſſioni illius vitæ monaſticæ, & ut illam concomitantia, & quaſi acceſſoria. Cùm ergo hi liberi evadant à principali vitæ monaſticæ obligatione, liberabuntur quoque obligatione acceſſoria horum votorum, non ita ut illa tranſeant, ſed ut eorum obligatio ſuſpendatur, dum hi extra religionem ſunt. Præterea, quia votum deſinit obligare, quando eſt ita notabilis mutatio facta materiæ, ut reddatur notabiliter difficilior, & quæ à principio prævisa retraheret à voti emiſſione, ut probavimus *lib.*4. *hujus Operis*. At in noſtro caſu facta eſt mutatio non ſolùm notabilis, ſed etiam notabiliſſima. Tandem, quia ea vota emittuntur ad felicem religionis ſtatum conſervandum. Ergo tamdiu cenſetur obligare, quamdiu profeſſus eſt de ejus corpore. Et ita hæc pars mihi placet, non ut ea vota omninò extinguantur; ſed ſuſpenſa ſint, quamdiu durat ea conditio. Solam enim hanc ſuſpenſionem probant rationes prædictæ; nec eſt ſimilis ratio de votis peculiaribus, quæ ille emiſit in religione, quia hæc nullam habent connexionem, aut dependentiam à profeſſione, & à vita regulari: & fortè de his votis intelliguntur prædicti auctores; & hanc partem expreſsè tenet *Vega* 2. *tomo ſumma, cap.* 86. *caſu* 16.

57 Rurſus dubitari poſſet, an hucuſque dicta de ejectis vera ſint, quando injuſta eſt ejectio, & de damnatis pœnæ triremium. Et quidem quando injuſta eſt ejectio re ipſa, & juſta ſecundum allegata, & probata, credo habere verum hucuſque dicta de ejectis, quia ejectio eſt valida, & perpetua; at quando injuſta omninò eſt, videtur hos non eximi à regularis obſervantiæ obligatione, & cæterorum, ad quæ alii religioſi obligantur, quia cùm ejectio illa non ſit valida, minimè exonerat ejectos, ſed manent vera illius religionis membra. Nihilominus dicendum eſt eos manere exemptos, ſicut cæteri juſtè ejecti, quia exemptio hæc non pendet ex juſtitia, aut injuſtitia expellentium, ſed ex neceſſitate, & impoſſibilitate expulſorum, quæ æqualia ſunt in ejectis injuſtè, imò ſi quid affert commodi ejectio illa, eo potiùs potiri debent injuſtè ejecti, quàm cæteri. Ad rationem in contrarium reſpondetur, ejectione injuſtam validam quidem eſſe ad exonerandum ejectum, invalidam tamen eſſe ad exonerandam religionem.

58 De damnatis autem pœnæ triremium, ſi in perpetuum damnentur, conſtat eos liberos evadere, cùm ejectio ſit perpetua; at cùm pœna temporalis eſt, & ea finita admittendi ſint ad religionem, exiſtimo eos teneri ad obſervantias regulares, quas commodè poſſint ibi obſervare, perinde ac religioſi, qui ex juſta cauſa ex ſuperiorum licentia ad tempus abſunt à religione, quia non ſunt ejecti, ſed vera illius religionis membra.

59 Demum ſupereſt difficultas, an ejecti hi ad ordines promoveri poſſint? Ratio dubitandi eſt, quia non poſſunt titulo profeſſionis, cùm jam non ſint à monaſterio alendi; nec titulo patrimonii, cùm proprium habere nequeant, de qua re benè tractat *Navarr. lib.*1. *conſil. in* 1. *edit. tit. de ætat. & qualit. conſ.*9. *in* 2. *lib.*3. *titul. de regular. conſ.*84. & ipſum ſequens *Manuel qq. regular. tomo* 1. *q.*50. *art.*23. & ſuſtinent poſſe quidem, ſi beneficium ſufficiens habeant, aut patrimonium, ne mendicare cogantur, & dummodò non contraxerint irregularitatem ratione delicti, aut notorietatis graviſſimorum criminum, ob quæ ejiciuntur; quia etſi dominium habere nequeant, poſſunt tamen habere uſum patrimonii ſufficientis debitæ ſuſtentationi, ne mendicare cogantur. Quod ſatis eſt, ut ad ordines promoveantur: ſi tamen irregularitatem contraxerint, eſt priùs petenda diſpenſatio, vel à Pontifice, ſi illi reſervetur, vel ab Epiſcopo, in cujus diœceſim iverint habitaturi, ſi Epiſcopus in illa diſpenſare poſſit.

SUMMARIUM.

*Proponuntur rationes ad probandum non eſſe liberum Societati expellere eos, qui vota in ipſa emiſere, n.*60.

*Explicatur qualiter ea vota ſint perpetua ex parte voventis, non verò ex parte Societatis, & quomodo ab ipſa acceptentur, & quæ differentia ſit inter ipſa, & profeſſionem, n.*61.

*Hæc vota ſunt conditionalia ſecundùm quid, & ii expulſi à Societate manent omninò à votis liberi, n.*62.

*Quid ſi non ſint emiſſa juxta formam Societatis, vel in dubio, an ſic emiſſa ſint? n.*63.

*An in his votis ſit aliqua injuſtitia, eo quod ex parte emittentium ſint perpetua, non autem ex parte Societatis? n.*64.

*An ſi data opera repulſum à religione procurent pravis ſuis moribus, liberentur votorum obligatione? n.*65.

*Explicatur ſententia Auctoris, n.*66.

*Quid de eo, qui ſibi falſa impoſuit, ut expulſionem extorqueret? num.*67.

An ſi hic emiſerat votum recitandi, dum in Societate permaneret, teneatur expulſus fraudibus prædictis ad has preces? numero 68.

*An qui poſt vota biennii, aut tempore novitiatus emiſſa committit culpas ſufficientes dimiſſioni, quamvis ex ſe non eſſent veniales, peccet mortaliter? n.*69.

*An qui poſt ea vota petunt dimitti, peccent lethaliter? n.*70.

*An dimiſſi teneantur aliquid Societati reſtituere? n.*71.

*Quid ſi data opera ut à religione expellerentur? n.*72.

An poſſint ejecti compelli ingredi aliam religionem? Remiſſivè, num. 73.

*An profeſſi è Societate ejecti teneantur ad ſpeciale obedientiæ votum, quod emiſerunt, vel ad alia ſimplicia poſt profeſſionem emiſſa? refertur quædam ſententia, n.*74.

*Explicatur ſententia Auctoris, n.*75.

60 QUæſtio ultima de jure quod habet Societas JESU ad expellendos religioſos, & de actione ipſorum, ſi injuſtè expellantur, & qualiter votis obligati maneant; quæ quæſtio propoſitis aliquibus difficultatibus diſſolvetur. Et ut diſtinctè procedamus, prius agemus de expulſis poſt vota ſimplicia biennii, aut coadjutorum formatorum à Societate, deinde de expulſis poſt ſolemnem profeſſionem. Prima igitur difficultas eſt, qualiter poſſit Societas abſque injuſtitiæ labe expellere eos: qui ſola ſimplicia biennii, aut coadjutorum formatorum vota emiſere, & an illi per dimiſſionem liberentur prorſus votorum obligatione? Videtur enim repugnare Societatem liberam eſſe ad hos expellendos, hos autem carere libertate exeundi, quod in horum votorum emiſſione quidam contractus ineatur; neque enim ſoli Deo, ſed etiam Societati fiunt, ipſaque Societas ea acceptat, alias nullam juriſdictionem in eos acquireret: ergo ſicut hi non poſſunt liberè exire, ita nec Societas poteſt eos liberè dimittere. Secundò, quia videtur injuſtitia in eo contractu; nam ad juſtitiam contractus maximè deſideratur æqualitas contrahentium, & ea deficit in his votis, cùm obligatio promittentis ſit omninò perpetua, non autem obligatio Societatis ea vota acceptantis. Tertiò, quia triplex eſt modus ſolutionis votorum, nempè, diſpenſatio, irritatio, vel commutatio; at expulſi nullo ex his modis ſolvuntur votis. Non enim ea vota, utpote religioni ſubſtantialia, ſubſunt poteſtati irritandi, aut diſpenſandi ſuperiorum religionis, eo vel maximè quod ſint vota religionis, & caſtitatis, quorum diſpenſatio Pontifici reſervatur: neque etiam in aliquid aliud commutantur, quod ejecti facere teneantur; nec poſſunt etiam commutari, niſi per ſolum Pontificem.

61 Pro hujus intelligentia ſuppono, latum eſſe diſcrimen inter vota caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ emiſſa in Societate JESU in ſolemni profeſſione, & eadem vota ſimplicia emiſſa poſt biennium probationis, vel a coadjutoribus temporalibus, vel ſpiritualibus formatis, quod in illis eſt reciproca obligatio inter religionem, & profeſſum, ita ut ſicut profeſſus non poteſt a religione recedere, ita nec Societas eum expellere, niſi in caſu graviſſimo, & ſi alias illum expelleret, peccaret contra juſtitiam, tenereturque eum recipere, ut de profeſſis aliarum religionum dixi *n.*7. at in votis ſimplicibus biennii, vel coadjutorum formatorum non includitur hæc mutua obligatio. Nam quamvis Eccleſia approbans religionem Societatis talia vota tamquam veræ religionis acceptet; at Societas ea non admittit, & ideo in manibus Superiorum non fiunt, ut habetur *in conſtitutionibus Societatis p.*5. §.3. *& lit. D.* Dicitur autem Societas ea vota non admittere, non quia promiſſionem in illis incluſam, quæ ſibi fit, non acceptet, ſed quia ex vi talis acceptationis ipſa non remanet ad retinendum voventem obligata; & ſic debet intelligi, quod in declarationibus *ea lit. D*, dicitur, nempè hujuſmodi vota ſoli Deo, & non homini offerri; non enim intenditur Societatem ex vi talium votorum nullum jus acquirere in voventem; ſed idcircò id dicitur, quod præciſè ex eo voto non reſultet obligatio in Societate retinendi voventem, licèt aliunde oriatur hæc obligatio, ut dicemus *n.*64. & 66. ſicut contingit in eo, qui ſui venditione ſe tradit in perpetuam alterius ſervitutem, domino traditionem acceptante: nam ille quidem verè ſtatu ſervitutis perpetuæ ad ſerviendum domino aſtrictus manet, & licet ex vi traditionis, & acceptationis hic verum jus in illum acquirat, at non manet ad eum retinendum obligatus, ſed poterit manumittere. Sic hujuſmodi voventes in Societate ſe per illa vota Societati tradunt aſtricti ad perpetuò in ea manendum; at Societati liberum eſt eos dimittere, quamvis aliunde ex vi ſuarum conſtitutionum non poſſit eos dimittere abſque juſta cauſa.

62 Secundò ſuppono, hos omnes per dimiſſionem à Societate,

tate, liberos prorſus à votorum obligatione evadere, non per diſpenſationem, irritationem, aut commutationem, ſed quia, dum emittuntur juxta Societatis conſtitutiones, imbibitam habent conditionem, dum Societas eos retinuerit, ut *n.66.* probabimus; atque ita cùm eos expulerit, ceſſat eorum obligatio, non quaſi Generalis relaxet vota, aut in eis diſpenſet, ſed quia tollit conditionem, ſine qua ea vota non ſubſiſtunt, ut probavimus *lib.4. c.24. num.11*, ſicut habens votum ingrediendi religionem aliquam in particulari, ſi in eam non admittatur patiens in perpetuum repulſum, manet liber à voto, non quòd fuit irritum, commutatum, aut in eo diſpenſatum, ſed quia religio, à qua ejus executio pendebat, illum admittere renuit. Ita vota biennii, vel coadjutorum formatorum deſinunt obligare per expulſionem abſque irritatione, diſpenſatione, vel commutatione, ex hoc quod Societas non vult eos retinere; unde ea vota ſunt ſecundùm quid conditionalia: &, ut diximus, eodem modo, ſub eademque forma emittuntur vota aliquando à novitiis volentibus ea ex devotione emittere, ut conſtat ex *3.p. conſtitutionum c.1. lit. T, & p.5. c.4. lit. G.* Quare ſimiliter ceſſant per legitimam à Societate expulſionem.

63 Dum autem dicimus vota hæc ceſſare per legitimam expulſionem, intelligitur quando ea juxta Societatis formam emiſerunt. Si enim in Societate emiſiſſent ea vota non juxta formulam votorum ipſius, manifeſtum eſt, ratione repulſus à Societate eos non manere liberos, ut conſtat ex *2. p. conſtit. c.4. §.5.* Societas enim, cùm expellit aliquem, tamen reddit liberum à votis ſecundùm ipſius formam emiſſis, quia hæc vota habent tacitam conditionem, niſi expellatur; reliqua verò non, ſed ſunt merè abſoluta. Quare ſi fuit votum perpetuæ perſeverantiæ in Societate, ut expellatur, judicandum eſt ac de illo, qui vovit religionem, ac perſeverantiam in illa, & poſtea expellitur, de quo diximus *lib.4. cap.6. num.106.* de reliquis autem votis ſpectandum eſt, an ea obligaverint perſeverantiæ in Societate. Tunc enim quando ita à Societate expellitur, ut non teneatur ad illam redire juxta dicta eo *n.106.* non tenebitur ad ea vota, quia ceſſante obligatione principali, ceſſat acceſſoria; & in dubio hanc eſſe intentionem crederem illius, qui hæc vovit ſe in Societate ſervaturum, immò & illius qui intra Societatem hæc vovit, nec meminit, an ſuam intentionem reſtrinxerit ad ea in Societate ſervanda, quia rariſſimè paupertas, & obedientia voventur in ſæculo, cum difficillimè in eo ſervari poſſint; & quamvis caſtitas promitti ſoleat in ſæculo, at non ſola promittitur in hoc eventu, ſed una cum paupertate, & obedientia. Præterea, quia communis promittentium hæc ex ſua devotione in religione mens eſt, dum in religione perſeverant; & ita à communiter accidentibus hæc mens in dubio præſumitur.

64 Nec injuſtitia aliqua in hoc reperitur; quod apertè conſtat, cùm Sedes Apoſtolica & *Trident. ſeſſ.25. de regular. c.16.* hoc Societatis inſtitutum approbaverint: ac proinde in re maximè ad mores ſpectante erraſſent, ſi injuſtitia in his votis inveniretur. Ratio autem, cur injuſtitia non inveniatur, ea eſt, quia ſcienti, & volenti injuria irrogari nequit, *regular. ſcienti, de regul. jur. in 6.* at emittentes prædicta vota norunt eam conditionem; nam ipſis traditur antea legendum totum Societatis inſtitutum & biennio probationis conſiderandum, ut habetur *in conſtitut. in examine c.1. §.13. 1. conſtit. c.4. §.5.* & ſpecialiter hic punctus eis proponitur, ut habetur *in examine c.6. §.8. lit. A.* Quare cùm liberè eam ſcientes conditionem admittant, nulla eſt injuria, eo vel maximè quod quilibet ſuæ privatæ utilitati valeat renunciare, *c. ad Apoſtol. de regul.* Deinde, quia in multis contractibus ea inæqualitas reperitur, jure ſic ex juſtis cauſis diſponente, ut ſi pubes ſponſalia cum impubere contrahat, pubes nunquam reſilire poteſt; id autem licet impuberi, cùm primum pubertatem adeptus fuerit, ut conſtat ex *c. de illis 1. verſ. mulier, de deſponſat. impuberum.* Similiter ſi major cum minore contractum ineat abſque tutoris auctoritate, ſoli minori reclamare permiſſum eſt *leg. non eo minus C. de procur.* & minor cum majori contrahens beneficio reſtitutionis adjuvari poteſt, quo tamen major caret. Si ergo favore minoris ætatis, & ob cauſas levioris momenti poteſt jure hæc inæqualitas conſtitui, & cuidam parti libertas recedendi à contractu concedi, ea denegata alteri, cur eadem inæqualitas conſtitui non poterit favore religionis ob cauſas maximi momenti, quales ſunt, ne religio, quæ magnis, & difficilibus Eccleſiæ miniſteriis dicatur, patiatur detrimentum retentis in ea perſonis, quæ ſcandalo ſint, & bonum ejus nomen obſcurent? Deinde, quia hac ratione religioſi hi faciliùs in officio ſuo continebuntur, niteturque progreſſus in virtutibus facere, dum vident ſecus facientes poſſe dimitti. Præterea, quia in aliarum quoque religionum profeſſis ſimilis inæqualitas in contractu per profeſſionem emiſſo reperitur; Nam ipſi nunquam poſſunt reſilire; at religio poteſt ipſos, ſi contumaces, incorrigibileſque ſint, expellere; imò aliquo modo major inæqualitas reperitur: nam hi expulſi à Societate manent omninò à votorum obligatione liberi, & pœnitus ſui juris, ac ſi numquam voviſſent; at profeſſi cujuſcumque religionis, quantumvis expulſi, manent votis ligati, cum tamen religio non teneatur eos alere, ac eos tamquam membra putrida expulerit. Tandem, quia licet tali voventi non obligetur Societas ex ratione votorum, obligatur tamen ex ſuis conſtitutionibus ad illum retinendum, neque dimittere valet, niſi juſta de cauſa, ut dicemus *nu.86.* quæ obligatio fortiſſima eſt, & multò faciliùs eſt particularem à debito deficere, quàm Generalem Societatis, cui ſoli jus expellendi competit. Et hinc ſolvitur objectio poſita *n.60.* in argumento. Ad primum, & tertium conſtat ex dictis *n.61. & 62, ſuppoſitione 1. & 2.*

65 Secunda difficultas eſt, an religioſi Societatis ſolis biennii votis, aut coadjutorum formatorum aſtricti, aut votis novitiatus tempore emiſſis juxta formam Societatis, qui pravis ſuis moribus data opera repulſum à religione procurant, tuti maneant? Et videntur tuti manere, quia *2. p. conſtit. c.4. §.6.* dicitur, recedentem ſponte ſua à Societate, eſſe dimittendum, ſi redeat ad Societatem abſque ſufficientibus pœnitentiæ ſignis, & vera perſeverandi voluntate; & paulò ante *c.2. §.4.* dictum fuerat, cauſam dimittendi è Societate eſſe, ſi quis nequeat, vel nolit proprium ſuum judicium infringere. Ecce igitur cenſetur legitimè dimiſſus à Societate, qui intendens directè fugere à Societate diſcedit, & qui non vult infringere ſuum judicium, cùm tamen *in d. c. §.4.* dictum ſit, ejuſmodi homines liberos manere à votis poſt dimiſſionem; & Pontifices, qui Societatis inſtitutum approbarunt, eo ipſo conceſſere hanc facultatem relaxandi, in quantum opus eſt, ad omnes ſcrupulos auferendos. Item, quia *par.3. c.4. lit. B*, dicitur eſſe Societatis eos dimittere; quod ſi acciderit, eos manere liberos ab omni votorum obligatione. Ergo quoties Societas jure dimittit, manet alter verè liber. At in hoc caſu propter illius defectus jure Societas dimittit. Item, quia dimiſſio eſt actus præcisè ſe tenens ex parte dimittentis, nullatenus ad id requiſito præcisè, & ex natura rei concurſu dimiſſi, niſi per modum objecti, circa quod eſt dimiſſio. Ergo dimiſſio, quæ eſt juſta, & legitima ex parte dimittentis, & verſatur circa hominem dimiſſione dignum, eſt ſimpliciter, & abſolutè legitima; & ſic ſimpliciter votorum obligatione liberat.

66 At credo eos non liberari votorum obligatione, ſed teneri ad impedimenta per malitiam appoſita auferenda, & ad ſe offerendum religioni ad ejus ingreſſum, ſi ſuperiores eum admittere velint; quod ſatis conſtat ex his, quæ diximus *lib.4. c.25. nu.47.* ubi ex communi Doctorum ſententia probavimus non liberari voti conditionalis obligatione, qui data opera nititur conditionem non impleri, ut liber evadat; ſicut etiam qui promiſit Xenodochio miniſtrare, non ſatisfaciet voto, ſi data opera malè ſerviens, reſque illius diſpendens, dimiſſionem extorſerit. Secundò, quia non minus hic obligatur ad religionem ex parte ſua, quàm ſi abſolutè, & abſque ea conditione voveret. Conditio enim illa non adjicitur ad majorem ipſius voventis libertatem, ſed ut religioni liberum ſit ipſum dimittere, ſi ineptus ipſi videatur. At ſi nulla conditione id votum emiſſum eſſet hic liber non maneret: ergo nec ea conditione adjecta, cùm non minus ea appoſita aſtringatur, quàm non appoſita. Tertiò, quia nulla condonatio fraudibus, & injuriis extorta liberat extorquentem, ſed tenetur rem in priſtinum ſtatum revocare. Cum ergo illa votorum remiſſio per repulſum à Societate, non ſit libera, ſed fraudibus extorta, non liberabit expulſum, donec mutatis moribus, veritateque detecta nitantur iterum admitti. Nec obſtant in contrarium adducta, quia ea conſtitutionum loca tantùm probant Societati integrum eſſe ob eas cauſas rebelles illos dimittere; at non probant eos manere liberos, quippe non liberantur, niſi quando ex parte Societatis expulſio eſt voluntaria, qualis non eſt in hoc caſu, ſed per malitiam extorta. Atque ita decrevit Congregatio Generalis *decreto 18. §.4.* cujus verba *nu.27.* referemus, ubi eadem in iſtos ſtatuit, quæ in eos qui fictis cauſis dimiſſionem extorquent, de quibus agemus *eod. n.72.* Nec obſtat etiam ſecunda ratio, quia licèt dimiſſio illa ſe teneat ex parte dimittentis; at cùm debeat eſſe voluntaria, oportet ut ſit legitima, ne dimiſſus extorqueat illam per malitiam, & fraudes. Et ita docet *Leonardus lib. 2. de juſt. c.40. dub.15. à nu.118. uſque ad 171.* & pro hac parte ſunt Doctores, quos allegavimus *lib.4. c.23. n.47.* dicentes votum conditionale minimè deobligare, quando culpa voventis non impletur conditio. Et pro hac etiam parte eſt quod diximus *lib.4. c.16. nu.108.* ubi diximus non ſatisfacere voto ingrediendi religionem, qui delinquit in eum finem ne admitteretur, aut ut admiſſus excluderetur. Quando autem ille adhibita ſufficienti diligentia, fraudeque detecta non admitteretur, ſed repulſum in perpetuum pateretur, credo eum manere à votis liberum, quia jam per ipſum non ſtat; conſulto autem dixi, detecta veritate, quia detegere teneretur, ſi id opus eſſet ad novam admiſſionem, quia ea non detecta exiſtimare poſſent ſuperiores vitia priora non ex induſtria, ſed ex pravis affectibus, & ex mala indole ortum habuiſſe, & ita judicarent illum Societati ineptum, & ideo non admittere auderent. Sed dices, ut hic liber evadat opus eſt adeſſe legitimam dimiſſionem; at præcedens non fuit talis, utpote quæ fraudibus extorta eſt, nec præſens eſt legitima, quia Provincialis modò non admittens, caret poteſtate expellendi poſt biennii vota. Sed reſpondetur, quamvis careat poteſtate dimittendi; at ubi quis ſemel eſt dimiſſus à Patre noſtro Generali, habet poteſtatem non admittendi iterum, & ſic ratam habendi priorem dimiſſionem, quando denuo admittere non expedire judicaverit.

67 Atque idem cenſendum eſt de eo, qui ſibi falſa aliqua impoſuit, ut expulſionem extorqueret, ut graves lapſus Venereos, quia ſimiliter dimiſſio hæc eſt involuntaria, utpote quæ fraudibus extorta eſt. Atque ita decrevit Congregatio Generalis *decreto 18. §.4.* hos nullo modo tutos in conſcientia eſſe, & hujuſmodi expulſionem in foro conſcientiæ fore irritam, eoſque in eodem foro omnibus ſubjacere apoſtatarum cenſuris, ac pœnis: & ſi hoc in exteriori foro conſtiterit, poſſe ſuperiores contra eos agere tamquam contra veros apoſtatas, juxta Societatis privilegia, & ſacrorum canonum diſpoſitionem.

68 Sed quid, ſi hic emiſerat votum recitandi quotidie, dum in Societate permaneret, an expulſus fraudibus prædictis maneat ad preces illas fundendas aſtrictus? *Leonard. lib.2. de juſtit. c.40. in fin.* quæſtionem hanc tractat, & dicit probabile eſſe hunc non teneri immediatè, quia mens ipſius videtur eſſe non ſe obligare, niſi dum in monaſterio maneat: at teneri mediatè, quippe tenetur iteratam admiſſionem procurare; & admiſſus tenebitur vi prioris voti. At probabiliùs ait, hunc manere obligatum; quia conditio, ſub qua promiſit, non ceſſavit eo modo, quo debuit, quod mens voventis fuerit ſe obligare quamdiu ſuperior ipſum ſponte retinere vellet. At poſterior hæc pars omninò mihi placet, & eſt dictis conformis: quia ſenſus illius voti eſt, quamdiu religioſus Societatis fuero. Et ita ſi ille à Societate fugeret, nullus dubitaret illum eo recitandi voto teneri, quia cùm nondum expulſus ſit, manet religioſus Societatis. At hæc dimiſſio fraudibus extorta cum non liberat votis, ſed adhuc manet religioſus Societatis, ut probavimus *n.70.* ergo adhuc manet eo voto ligatus.

69 Quarta difficultas eſt, an lethaliter peccet, qui poſt ea biennii vota, aut etiam tempore novitiatus emiſſa, committit culpas ſufficientes dimiſſioni ex Societate, quamvis ex ſe illæ non eſſent niſi veniales, nec dimitti intendat, ut ſi frequenter regulas ad nullam culpam obligantes tranſgrediatur, ut ſi nollet orare temporibus præſcriptis, ingrederetúrque omnium cubicula, & ſimilia efficeret, & quid quando non commiſſis his culpis petit admitti? Sit prima concluſio. Quando ſive poſt vota biennii, ſive novitiatus ex fragilitate, aut vehementi paſſione in eas culpas incideret, at mediocrem adhiberet diligentiam ad eas cavendas, non peccaret mortaliter, ſecus quando ex gravi negligentia, & adverteret ſe ad repulſum è Societate diſponi; tunc enim peccaret mortaliter contra perpetuam in Societate perſeverantiam iis votis promiſſam. Probatur prior pars, quia promittens aliquid non ſe obligat ad media adhibenda, ut id impleat cum omni conatu poſſibili, ſed tantùm cum mediocri, juxta rei promiſſæ difficultatem. Probatur poſterior pars ex dictis *c.4. n.18.* ubi conſuetudinem hanc eſſe lethalem probavimus. Item, quia vovens aliquid cenſetur indirectè ſe obligare ad media neceſſaria mediocri diligentia appoſita ad id explendum; & hac ratione probavimus *lib.4. c.16. n.61.* voventem religionem ſcientem eſſe opus diſcere Grammaticam, ut admittatur, obligari conſequenter ad eam addiſcendam. Cùm ergo ad perſeverantiam in religione, quæ per ea vota biennii, aut quæ tempore novitiatus emittuntur, promittitur (eadem enim prorſus eſt formula vovendi, ut diximus *n.62.*) deſideretur niti vitare has culpas, ac ſe corrigere, qui non adhibet ad id mediocrem diligentiam, peccabit mortaliter contra perſeverantiam iis votis promiſſam. Secundò, quia reus eſt culpæ lethalis, qui ſe impotentem reddit ad votum explendum, ut qui poſt religionis votum iniret, conſummaretque matrimonium, quo conſummato, jam nequit ad religionem migrare. Ergo ſimiliter peccabit, qui tales culpas non vitat, cùm ſimiliter impotentem ſe reddat, ut in religione promiſſa perſeveret. Tandem, quia vovens religionem, & illam ingrediens, tenetur, ut voto ſatisfaciat, ut in ea perſeveret, ut probavimus *lib.4. c.16. n.89. & ſequent.* nedum ad id tenebitur, qui promiſit per ea vota in Societate perſeverare.

70 Secunda concluſio ſit. Qui poſt ea biennii vota, aut novitiorum petunt à Societate dimitti, humiliter ſignificata ſua tentatione, aut difficultate ad perſeverandum, & ad ſe inſtituto Societatis accommodandum, ac proponentes ſe vincere, mediocremque adhibere diligentiam ad perſeverandum, niſi dimittantur, non peccant; ſecus autem ſi tenaciter petant non habentes eum animum acquieſcendi, & procurandi mediocriter perſeverantiam, ſi judicet ſuperior eos non dimittendos; tunc enim peccabunt mortaliter. Conſtat, quia proponens Pontifici cauſas, ut ſecum diſpenſet in voto caſtitatis, ſi proponat Pontifice non diſpenſante, niti ad votum implendum, non peccat utique, quia mediis licitis curat ſe voti obligatione liberari. At non evaderet culpam mortalem, qui ita tenaciter peteret, ut paratus non eſſet ad mediocrem diligentiam adhibendam, ut votum ſervet, Pontifice non diſpenſante, aut ſi ſua tenacitate, & rebellione quaſi cogeret Pontificem, ut ſecum diſpenſaret. Ergo idem dicendum eſt de petentibus votorum Societatis obligatione liberari per legitimam ab ea dimiſſionem, cum hic quoque ſolvendæ ejus obligationis modus ſit licitus.

71 Quinta difficultas eſt, an dimiſſi ex Societate poſt vota biennii ob culpas, quas non curarunt mediocri diligentia vitare, teneantur aliquid Societati reſtituere? Videntur teneri, ſuppoſito hoc, peccare lætaliter contra vota, ut probavimus *n.73.* quia per hæc vota traditi ſunt religioni, ut decidit *Gregor. XIII. in ſua Extravag. aſcendente*; at culpabiliter ſubtrahens rem alteri traditam, tenetur reſtituere, cùm traditio conferat dominium rei, & jus proprium: ſed hi culpabiliter ſubtrahunt ſeipſos religioni; ergo tenentur reſtituere. Sed veriùs eſt non teneri; & praxi ita receptum eſt, quia ex vi votorum non tenentur, utpote quæ omninò ceſſant per dimiſſionem legitimam, ut diximus *n.62.* neque etiam ex lege juſtitiæ, quia religio nec per ea vota, nec per ſolemnem profeſſionem acquirit jus juſtitiæ in perſonam. Non enim per profeſſionem ſe obligat religioſus ſuo monaſterio ex juſtitia, ſicut ſervus domino; ſed ex ſolo obedientiæ voto, quod eſt actus religionis. Neque obſtat argumentum de traditione, quia id verum habet, quando traditio eſt in bonum alterius, cui res traditur, & producit obligationem juſtitiæ. At in præſenti religioſus non profitetur in religionis bonum, ſed ad ſuum ſpiritualem in virtutibus progreſſum; nec religio acquirit jus juſtitiæ, ſed obedientiæ. Et ita *Doctores in tractatu de reſtit.* communiter, tradunt ſuadentem profeſſo, ut fugiat nulla vi, aut fraude illata, non teneri aliquid religioni reſtituere, quaſi non peccarit contra juſtitiam, ſed contra votum obedientiæ, quo profeſſus ille perſeverare tenebatur.

72 Quare etiamſi data opera Societatis religioſi eas culpas admitterent, ut ex religione expellantur, non tenerentur religioni aliquid reſtituere, quia non delinquunt contra juſtitiam, ſed contra ſola vota: alia autem ratione tenebuntur redire, quia, ut diximus *n.70.* non evadunt à voto perſeverandi in religione liberi.

73 Sexta difficultas eſt, an poſſit Generalis Societ. JESU obligare ejectos, ſive novitios votis ligatos, ſive eos, qui vota biennii emiſerunt, aut profeſſionem, ut tranſeant ad aliam religionem, & ſi ab ea recedant, quid facere teneantur? Sed de hoc diximus ſupra *n.43.*

74 Ultima difficultas eſt, an profeſſi quatuor votorum ejecti in perpetuum à Societate teneantur ad votum ſolemne obedientiæ Pontifici circa miſſiones, quod in ſua profeſſione emittunt, & tam illi, quam reliqui ejuſdem profeſſi ad vota ſimplicia, quæ poſt profeſſionem emittunt? ait *Gabriel Vaſquez 1.2. q.96. art.4. diſp.165. c.8. n.91. & 92.* per expulſionem à Societate ceſſare eorum votorum obligationem.

75 At id non credo, quia etſi in fine eorum votorum addatur, omnia intelligi juxta conſtitutiones Societ. JESU; at nullibi habetur in ejus conſtitutionibus profeſſos expulſos liberari eorum votorum obligatione. Nec *Gregor. XIII. in ſua Extravag. aſcendente*, ubi latiſſimè, & ad unguem Societatis JESU inſtitutum explicuit, eam liberationem declaravit, ſicut declaravit, & declarant conſtitutiones, ejectos poſt vota biennii, & coadjutorum formatorum liberos omninò à votis evadere. Adde idem dici in profeſſione ſolemni, cujus perpetuitatem non tollit id additum, eo quod nihil contra ejus perpetuitatem in conſtitutionibus contineatur; ſed id additum refertur ad modum, quo ea vota obſervanda ſunt, qui in conſtitutionibus declaratur. Sicut dum alii religioſi vovent tria vota, adduntque, juxta talem regulam, illud additum nullam conditionem importat, ſed modum obligationis eorum votorum. Et confirmatur, quia ſi profeſſus hic expulſus admitteretur iterum, non indigeret nova horum votorum emiſſione, ſicut nec nova profeſſione. Quare ea vota ſunt ſolùm ſuſpenſa, nec obligant dum ille extra Societatem eſt. Atque idem intelligo de ſolemni obedientiæ Pontifici voto; idem eſt annexum ſtatui Societatis, ejuſque profeſſioni: non enim profeſſus ille ſe obligat ad ſic obediendum eundo inter infideles inſtar clerici ſæcularis, ſed tamquam membrum corporis Societ. JESU. Quare dum repulſum eſt membrum reſecatum, ſuſpenſa eſt ejus obligatio. Et hanc partem probant rationes, quas adduximus in profeſſis aliarum religionum *n.56.*

CAPUT X.

Qualiter novitii ſubjiciantur præceptis regularium, & ſuperiorum, ab ipſiſque puniri valeant.

SUMMARIUM.

Si novitius reſilire velit, non tenetur ad regulas, vel ſuperiorum præcepta, n.1.

Explicatur, quando teneatur ad expenſas, quando ficto animo ingreſſus eſt, n.4.

An teneatur, quando recto animo ingreſſus eſt, & reſilit? refertur quædam ſententia, n.3.

Explicatur ſententia Auctoris, n.4. & 5.

An novitii volentes perſeverare obligentur præceptis regulæ, & ſuperiorum? refertur quædam ſententia, n.6.

Explicatur ſententia Auctoris, n.7.

Quid de novitiis Societatis JESU, qui ex devotione vota emittunt? num. 8.

An novitius delinquens poſſit puniri à Prælato regulari, vel à Judice ſæculari, aut Eccleſiaſtico? proponuntur probantia partem affirmantem, n.9.